



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio II. De Attributis in Particulari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DISPUTATIO II.

De attributis Entis.

Atributa entis tria communiter numerantur. Unum, Verum, Bonum, quæ in particulari ut melius intelligantur. *Sic*

QUÆSTIO I.

De attributis in communi.

QUÆRES I. *Quid sint attributa?* Rigorose loquendo, aliud esse passiones, aliud attributa, quia respectu DEI dantur proprie attributa, non tamen assignantur aliqua propriae passiones Dei. Imò passiones ut plurimum supponunt pro proprietatibus physicis, quas subiectum patitur, pro quo ut plurimum, non supponunt attributa; quamvis ista, interdum in idem incidant. Hinc indifferenter dicimus: unitatem esse passionem Entis, vel attributum Entis. Si qui accipere vellet rationem communem ad passiones & attributum, diceret, quod sit perfectio emanans ab essentia in suo esse constituta, & si sit perfectio physica, erit emanata & recepta physice, adeoque passio sine addito. Si autem emanata sit ex modo concipiendi, si sit perfectio entis, quod nemine cogitante potest habere rationem subiecti, dicitur passio Metaphysica. Si autem sit entis cui esse subiectum (à parte rei) nemine cogitante non convenit, qualis est solus Deus, dicitur potius esse attributum. Ratio autem communis Logicè attributi, est, quod sit ratio prædicabilis, in secundo modo dicendi per se.

QUÆRES II. *An dentur attributa entis?* Dantur. Tum quia dantur prædicata quæ intelliguntur emanata ab omni ente. Tum quia ita expressè Aristoteles 4. Metap. t. 2. §. 6. ubi præcipue ait de unitate, & 1. Poster. c. 1. Ea autem quæ in oppositum obijciuntur probant non nisi, quod attributa non sint passiones physicae: quamvis autem includens & inclusum, in ordine physico, dici de se non possint ad convertentiam; secus includens & inclusum Metaphysicum, sufficietque ut habeat rationem proprietatis, distinctio per rationem, & ratione connotatorum.

QUÆRES III. *Quenam sint attributa entis?* Asseritur communiter tria esse, Unum, Verum, Bonum, & ad Unum quidem revocatur esse idem, & tanquam oppositum, revocatur, esse differens. Ad Verum autem revocatur esse immutabile, cognoscibile &c. Ad Bonum revocatur esse appetibile. Porro existentia non tam est passio, quam potius præsuppositum quid passionibus, quæ ex ente existenti emanant, duratio autem & ubi, cum sint variabilia, non merentur rationem passionis & attributi. Nec esse rem & esse aliquid merentur rationem passionis, sed coincidunt cum ipso ente. Plura de his, sed non multum disputabilia, vide apud alios.

QUÆSTIO II.

De attributis in particulari.

Inter attributa non datur ullus ordo realis, cum enim identificentur enti, sicut ens se ipso non potest esse prius nec posterius; ita nec attributa inter se priora erunt realiter; nec est inter illa ordo aliquis causalitatis; hinc ad invicem ad se dicunt subsistendi consequentiam, est tamen inter attributa ordo aliquis rationis, secundum quem per prius ex communi sententia, dicitur aliquid esse unum; quam verum, & per prius verum, quam bonum, cujus prioritatis hæc est ratio. Prius est esse indivisum quam esse objectum intellectus, quia esse indivisum, dicit perfectionem in ordine ad se, prius autem est aliquid esse in se, quam in ordine ad aliud. Si autem esse indivisum est prior perfectio, præesse objectum intellectus, prius etiam erit unum quam verum; quia unum dicit esse indivisum, verum autem, dicit objectum intellectus, quod ipsum, quia est prius præ objecto voluntatis, quia & ipse intellectus prior est voluntate, sit ut verum, quod est objectum intellectus, sit prius, præ bono, quod est objectum voluntatis. An autem veritas secundum aliquam considerationem prior sit etiam Unitate alibi dicitur.

DIF.

DIFFICULTAS I.

De Unitate.

PRÆMITTO I. *Unitatem non esse quid distinctum ab ente realiter.* Ratio. Tum quia ita Arist. 4. Metaph. t. 3. Tum quia nullum est signum distinctionis realis, & nulla necessitas. Tum quia ens prout distinguitur ab uno vel est multa vel non est multa. Si est multa, ergo per additam sibi unitatem non potest fieri unum, quia nihil, per superadditum, fit id, cuius est oppositum, natura sua; sicut nigredo, per superadditam albedinem non albescit, ergo ulterius ens, quod prout distinctum ab unitate est multa, prout condistinctum ab unitate, est unum, quia multa, nihil aliud sunt, nisi unum & unum. Si autem ens prout condistinctum ab unitate, idque à parte rei non est multa, ergo est unum, hæc enim per nos, verbis differunt. Et si unum se ipso unum est, ne detur processus infinitus, ita & illudens, se ipso est unum, ob paritatem rationis.

PRÆMITTO II. *Unitatem non esse quid formaliter ex natura rei Scotistica distinctione distinctam.* Hæc enim distinctio aliàs rejecta.

PRÆMITTO III. *Ordinarie admitti quod cum unitas non superaddat enti aliquid realiter distinctum, vel ex natura rei, quod superaddat aliquid negativum infra explicabile; licet ipsum illud negativum identificetur enti, ad eum modum, quo negatio equi, identificatur animali rationali, & essentia Divina, identificatur independentia, immortalitas, quæ sunt prædicata negativa. Porro negativum illud, quod superaddit unitas enti, ordinarie dicitur esse negatio divisionis. Ipsa autem negatio divisionis in ente tripliciter concipi potest. I. Pro negatione divisionis à se, secundum quam concipitur ens, non posse dividi in plura talia, quale ipsum: v. g. Petrus, in alium à se Petrum. II. Divisio concipi potest ab alio, secundum quam habet ens ut ab omni eo, quod non est ipsum, dividatur: v. g. secundum quam Petrus dividitur à Joanne, Andrea &c. III. Divisio concipi potest in se, adeoque negatio divisionis in primo accusativè & sic coincidit cum negatione divisionis à se, quia scilicet non potest dividi in seipsum. Rursus Ly in se accipi potest ablativè hoc est dividi non potest in sua entitate. Et sic Angelus dividi non potest in sua entitate, quia partes non habet, homo autem physicè acceptus, dividi potest in sua entitate, quia constat corpore & anima.*

Punctum Difficultatis 2.

Qualem Divisionem neget Unitas?

DICENDUM est. *Negationem divisionis in se accusativè seu à se, esse negationem primò im-*

portatam ab unitate; ita Suar. Hurt. & post illos Ovied. quamvis ille dicat æque importari etiam divisionem ab alio. Quoad primam partem.

PROBATUR I. Auctoritate Aristotelis 5. Metaphys. t. II. & S. Thomæ præsertim q. 3. de potentia Art. 16. ad 3.

PROBATUR II. Si ab Uno non importaretur negatio divisionis à se, posset stare unitas cum divisione à se, hic enim quaeritur de talis divisionis negatione, quæ divisio stare non possit cum unitate, sed non potest stare unitas cum divisione à se; quia aliàs illud unum, & esset unum & non esset, esset quidem ut supponitur, non esset autem, quia unum & unum seu pluries unum, non est unum sed multa, quia multa non est aliquid aliud, nisi pluries unum, item divisibile à se, est pluries unum, scilicet pluralitate in se ipso inclusa, ergo illud unum, esset multa, adeoque non unum.

PROBATUR III. Ponamus aliquid esse unum, posse tamen dividi à se, posita divisione, possunt ne adhuc dividi partes à se vel in se accusativè vel non possunt? Si possunt, quaero de illis divisionis an adhuc possunt dividi, si id concedis, concedis processum infinitum in divisionibus, quod repugnat. Quod si devenire est ad aliquid, quod ulterius non sit divisibile, quaeram de illo indivisibili, estne multa vel unum? Si multa, ergo multa illud erit, quod non est multa, quia nec multiplicabile. Si unum ergo aliquid unum non est divisibile in multa se, nec potest stare cum illo dividi in se, ergo apparet etiam unitatem ut sic, non stare cum divisione in se. Sicut si unus homo non potest stare cum rugibilitate, nec homo ut sic stabit.

QUOAD II. PARTEM, nempe quod negatio divisionis à se, seu in se accusativè, sit negatio primò importata.

PROBATUR I. Rationes & formalitates respecientes illud ipsum cuius sunt, sunt rationes priores, rationibus & formalitatibus, respecientibus aliud ab eo, cuius sunt. Quia prius est esse in se, quam esse ad aliud; consequenter & negatio divisionis, sequens esse in se, est prior negatione divisionis, sequente esse ad aliud, sed divisio in se, respicit se ipsam, non posse autem dividi in aliud à se, est ratio respectiva; Ergo divisio in se seu à se, est prior, in divisione in aliud.

PROBATUR II. Etiam si per impossibile posset aliquid dividi in plura alia à se, si tamen non posset dividi in seipsum, adhuc esset unum; si autem non posset dividi in alia, posset autem dividi in se ipsum, jam hoc ipso non esset unum, ergo intimior & prior est ratio indivisi in se in uno, quam indivisi in aliud. Antecedens probatur. Quia illa divisio in se, adhuc esset negatio multiplicativitatis in se, adeoque unitas & divisio in se, sine multiplicativitate in aliud, adhuc esset multiplicativitas in se adeoque non unitas. Consequentia principalis probatur. Quia illa est ratio

† F 4 prior,

prior, quæ si mutetur, manentibus iisdem reliquis, jam non manet idem, & si non mutetur, mutato altero per possibile vel impossibile, tamen manet idem, hocque probat inductio, quia mutata extremitate in ordine ad locum, & non mutata extremitate in ordine ad se, manet eadem quantitas, mutata rationalitate & non mutata per impossibile risibilitate, non manet homo & sic de cæteris. Ergo etiam si mutata negatione divisionis in alia, positâque divisione in alia, & relietâ negatione divisionis in se, manet unitas, hoc ipso unitas, per prius, dicit negationem divisionis in se, quam negationem divisionis in alia.

PROBATUR III. Quia si de primo essentiali conceptu unius, esset, esse divisum ab aliis, vel esset de primo essentiali conceptu, esse actu divisum ab aliis, vel potentia; neutro ex his modo divisio ab aliis, est primò essentialis. Non primò, quia Deus ab æterno erat unus, & tamen ab æterno non erat actu divisus ab aliis, cum illa ipsa alia, actu non fuerint ab æterno. Quod etiam potentialis divisio ab aliis, non sit de primo essentiali conceptu, sic probatur. Quia etiam si impossibiles essent creaturæ, à quibus Deus dividi posset, sicut sunt impossibiles plures Dij, adhuc Deus esset unus, ergo apparet, quod ab ista possibili & potentiali divisione, non desumatur unitas.

CONFIRMATUR. Si ratio unius stat in ratione divisi ab alio, ante illam rationem divisi ab alio, non posset intelligi ratio unius, nam ante constitutiva, non intelligitur res constituta; jam autem pro priori ante divisionem ab alio, res intelligitur jam una: quod ipsum probatur; prius est ratione intelligi unum, quam multa, ergo & per prius est ratione unum, quam id, quod, necessario multa involvit. Sed divisio ab aliis, necessario multa involvit. Ergo prius est unum, quam esse divisum ab aliis. Quod autem prius sit ratione unum, quam multa, probatur. Quia prius sunt partes, quam totum, pars autem multorum, est unum.

Quod ipsum sic proponitur. Si unum formalissime esset, non divisum in plura, per prius intelligeretur esse unum, quam esset unum. Pone enim nondum esse constitutum in ratione sua unum; nam primum constitueretur unum quando adveniret illa ratio, non divisi in plura. Quæro per quid constituerentur illa plura, in quæ plura, indivisio facit unum. Certè in imaginabile est, esse plura & non per positionem unius & unius, Ergo posito quod unum nondum esset constitutum in ratione unius ipsa plura, essent plura, ante unum, adeoque unum esset, prius ante unum, quia plura sunt hoc & hoc unum. Quod tamen unum nondum intelligitur esse constitutum in esse unius. Per hoc tamen non nego quod in re, divisio ab alio, sit de ratione unius, non enim minus est in re de ratione Petri, ut non dividatur in Andream & Jacobum, ac ne dividatur in plures Petros.

OBJECT I. OVIEDO, probans quod divisio ab alio, sit primo essentialis conceptus unius, æquè ac indivisio in se. Indivisionem in se transcendit esse divisum ab alio, quod ipsum probatur. Quod est divisum, non est, & sic post divisionem materiæ & formæ non est homo, post divisionem continui non manet idem continuum, ergo esse uniuscujusque rei, dicit divisionem.

RESPONDETUR. Concedendo totum. Non enim est de hoc quæstio: an dicat unum divisionem ab alio, sed an dicat, divisionem hanc, primò; nec obest quod indivisionem in se, transcendat divisio ab alio, quia transcenditionem, hoc est, identificationem risibilis in homine, similem habet rationale, & tamen hoc non obest, quominus rationalitas, sit prior risibilitate.

INSTAT IDEM. Non divisio entis compositi, dicit illius unionem, & non divisio entis simpliciter, dicit illius simplicitatem, sive identitatem prædicatorum, sed unio est constitutivum cuiusque entis compositi & identitas in ente simplici, ergo non divisio, est de ratione constitutiva cuiusvis entis.

RESPONDETUR. Concedendo totum. Nihil enim est contrarios, quia non probat negationem divisionis ab alio, esse primò constitutivam unius. Quando autem addit Petrum, non esse non Petrum, formaliter idem esse cum Petro, negativè significato, Petrum autem esse Petrum, est ratio formalis constitutiva & transcendens Petri, consequenter non esse non ens, est constitutivum entis, negativè accepti; quando inquam hoc addit, non convincit; quia non probat intentum, nempe æquè primo enti convenire, divisionem ab alio, quam indivisionem in se. Deinde dico Petrum esse prius negatione non Petri, quia positiva prædicata, priora sunt negativis, non potest autem ostendi, quare non sit prior negatio indivisionis in se, quæ est quid absolutum, negatione divisionis ab alio, quæ est quid respectivum.

Addo, licet in Petro negatio non Petri, esset ratio primò constitutiva Petri, non sequitur negationem Joannis, esse æquè primò constitutivam, nam in Petro ad negationem non Petri, tum primum sequitur in Petro, negatio Joannis. Habeturque tanquam sub generali illa negatione, NON. Petri, subsumpta negatio Joannis, quia sub negatione non Petri continetur negatio Joannis, qui etiam est non Petrus, universaliora autem sunt priora. Si ergo in Petro, prior est negatio non Petri, præ negatione Joannis, quæ negatio Joannis, est quasi ad aliud; ita negatio divisionis in se, erit prior, negatione divisionis in aliud, quæ est ad aliud.

OBJECT II. Exercitus, acervus tritici, & alia entia per accidens, non sunt unum & tamen dicunt negationem divisionis in se, exercitus enim non potest dividi in alium exercitum, ergo non est ratio primò & definitivè constitutiva unius

unius indivisio in se, siquidem competit entibus, quæ non sunt unum.

RESPONDETUR. Sicut decas est verè una decas, licet plura in se contineat; ita & unus exercitus est verè unus, hoc est una tantum collectio, licet in se plures milites contineat, eaq; ratione, qua unus est, dicit negationem divisionis in se.

OBJICITUR III. Tale debet esse constitutum unitatis, quod comperat enti quæ tali, sed si adderet unitas enti negationem divisionis, non comperet enti quæ tali, quod ipsum probatur. Quod competit enti quæ tali, non competit non enti, sed negatio divisionis competit non enti, quia etiam non ens, dicit indivisionem in alia non entia.

RESPONDETUR. Duplex formalitas potest spectari in Unitate. I. Secundum id quod dicit in recto, quæ non aliud est, nisi ipsum ens, & secundum hanc formalitatem, nullo modo convenit non enti; quia non ens, hoc ipso, quia est non ens, importat negationem huius recti, quod dicit unum, unum enim in recto, dicit ens, quod negat non ens. II. In unitate post spectari formalitas connotati, quæ est negatio divisionis, & hæc negatio divisionis, suo modo competit non enti, quia hoc etiam, dicit negationem divisionis in se, nec repugnat ut ens & non ens idem respiciat connotatum; quia forma & privatio, habent se sicut ens & non ens, & tamen utrumq; respicit subiectum, tenebræ etiam non sunt non ens, radius ens, & tamen utrumque connotat, luminosum. Addo rigore loquendo negationi non tam competit negatio divisionis in se, quam negatio divisionis, in NON se.

INSTABIS. Entis divisio in se est impossibilis, ergo hanc indivisionem non dicit unitas, alias diceret negationem negationis, quia diceret negationem impossibilis.

RESPONDETUR. Hoc argumentum solvendum est objicienti, quia ille tenet quod unitas unitas dicat negationem divisionis in alia, & tamen æquè uni, negatio divisionis in alia, est impossibilis, ac impossibilis & negatio divisionis in se. Item tenebræ sunt non ens, & tamen dicunt negationem aseitatis, immutabilitatis, quæ omnia, sunt prædicata negativa.

Addo hoc quod sit impossibile Enti dividi in se, habet hoc ex ipsamet unitate, quam si per impossibile non haberet, per impossibile divideretur in se, si autem ratione unitatis, non potest dividi in se, cum ipsam negationem hanc divisionis in se, dicat, non dicit negationem negationis, quia illa in terminis præcis definitionis unius non importatur. Et sicut Petrus dicit negationem Joannis, ex eo tamen non inferitur quod dicat negationem negationis, cum illi sit impossibile est Joannem, ita nec in presenti unitas dicit negationem negationis.

Punctum Difficultatis 2.

Esse unum, estne quid positivum adnegativum?

VNum positivitatem quandam adferre adstruit Vasq. Hurt. Ovied. Negat. Suar. Arri. & alii.

DICENDUM. *Unum non est quid positivum simpliciter & absolute.* Procedit conclusio de uno non secundum id quod dicit in recto, ita enim, est quid positivum cum sit ipsum ens; sed de uno, formaliter spectato. Hanc puto fuisse mentem Aristotelis; Metaph. t. ii.

PROBATUR I. Unum, primò formaliter, dicit indivisionem in se, ut supra probatum; indivisio in se, est quid primò formaliter negativum, quod probatur. Divisio à se est quid positivum, est enim ens & ens, quod est quid positivum, ergò indivisio à se, quæ est negatio divisionis erit quid negativum.

PROBATUR II. Pluralitas per se vel est quid positivum vel negativum; si est quid positivum, ergò unum quod est negatio pluralitatis, erit quid negativum; si autem esse plura, est quid negativum, quodcunque fundamentum adfers probandi plura, esse negativum quid, idem asferemus de Unitate.

PROBATUR III. Istud positivum unitatis, vel est quid ratione nostra superadditum ipsi positivo entitatis vel non est, si non est, quare alia definitio convenit Uni & alia Enti? si autem est aliquid ratione nostra superadditum, quæcunq; ratio probat illud ipsum superadditum, non indigere ullo alio superaddito positivo ad esse unius, eadem ratio probabit, etiam ens, non indigere ullo tali superaddito positivo, contentariq; negatione, ab aliquo connotato oriunda.

CONFIRMATUR hoc totum. Quia nulla est necessitas & fundamentum, illius superadditi positivi, non sunt autem multiplicanda entia, sine necessitate.

OBJICIT I. OVIEDO. Divisio in se, dicit negationem; quia dividi ens compositum, nihil aliud iust, quam destrui unionem, quæ est inter extrema, ergò carentia huius divisionis, dicit habitum positivum, qui opponitur cum hac negatione; hoc autem oppositum, est unum.

RESPONDETUR. Divisio entis in se dicit negationem simpliciter nego, dicit negationem negationis concedo, dicit enim negationem unitatis, negoq; consequentiam; vel si mavis dicere, divisio ut quo, dicit negationem unionis sed dividi ut quod, est quid positivum, quia hoc dividi ut quod, est ipsa entia, jam autem unitas, respicit ipsum divisionis ut quod, negat enim entia, quæ resultarent, ex divisione entis in se, vel à se.

INSTAT I. Angelus indivisibilis & punctum indivisibile quantitativam per suamet entitatem, sunt indivisibilia, ergò per suamet entitatem

tatem habent carentiam divisionis, ergo per suasmet entitates, habent proprias unitates.

RESPONDETUR. Hanc instantiam potius esse pro nobis, quia dicimus nihil positivum superaddenti: cuius oppositum sentit Oviedo, directe autem dici potest, quod Angelus & punctum, per suammet entitatem sint indivisibilia, secundum id quod dicit indivisibile in recto, non autem secundum id, quod dicit indivisibile, in obliquo. Ita & unum in recto, dicit ali- quid positivum, in obliquo negativum.

INSTAT II. Divisum & non unitum sunt formaliter idem, ergo necessario habent eandem formam, contradictorie oppositam, sed non unito, forma contradictorie opposita est unitum, ergo forma contradictorie opposita diviso, est unitum, sed unitum est quid positivum, ergo forma contradictorie opposita non unito seu diviso, est quid positivum.

RESPONDETUR. Concesso quod idem in re sit non unitum & divisum, falsum erit, quod idem sint, ex modo concipiendi; quæ autem non sunt idem ex modo concipiendi, diversa habent contradictoria, ab his, cum quibus sunt idem realiter, & ita V. G. sunt idem realiter in homine sensitivum & rationale & tamen diversa habent contradictoria; sic & in præsentia, diviso formaliter opponetur non divisum non unito unitum, quod unitum in recto, sufficit, ut sit quid positivum; licet in obliquo, dicat quid negativum: nempe negationem pluralitatis, quæ pluralitas, non probatur esse quid negativum. Denique dici posset, quod unitum & non unitum prout hic de illis, sint contradictoria, sed non unitum est pars affirmativa, unitum est pars negativa, ad eum planè modum, quo non tenebræ est quid positivum, licet ex modo significandi, sit quid negativum, & tenebræ est quid negativum, licet sit quid in modo significandi positivum, hoc est particula Non carens.

Addo Objectionem hanc desumptam ex unito, exinde non concludere, quia aliter est necesse discurre de Unione, aliter de Unitate. Unio enim est quid positivum. Hinc esse divisa Materiam & Formam, erit quid negativum, quia erit carentia illius positivi, quod est Unio. Et certè Unio definitivè est nexus & adstrictio duorum Entium, quid autem hic non positivum? Jam autem Unitas de qua hic, est exclusivum plurium, seu negatio ductionis in plura. Hinc quamvis unitum sit quid positivum, non sequitur unum, esse quid absolute positivum.

OBJICITUR II. Si unum est quid formaliter negativum, in explicatione illius committetur circulus vitiosus, quia unum est quid, quod non est multa, & multa, essent id, quod non est unum.

RESPONDETUR. Non committi circulum vitiosum, quia non explicatur ignotum per ignotum, sed notum per notum. Nam cui non

esset notum, quid sit multa, non deberet illi dici, quod non sint unum. Sed dici deberet ut ait Arriaga hoc & hoc, & illud, sunt plura.

INSTABIS. Si unum esset negatio pluralitatis, essent prius plura uno, quod falsum est, quia prius est esse ens, quàm entia. Sequela probatur, quia forma negata, est prius negatione, sed forma negata ab uno est pluralitas, ergo pluralitas est prior unitate.

RESPONDET Aristoteles i. Metaphys. t. 9. Quoad nos, est prius multa, quàm unum. Deinde universaliter probatio sequelæ non concludit quia immortalitas Dei negat materiam quæ tamen prior Deo non est. Vide Suar. Disp. 4. Metaph. S. 7. n. 3. Deinde quamvis forma negata desumibilis extra id, cui competit negare, esset prior negatione, non tamen esset prior negatione forma negata, desumibilis ex eo ipso, cui competit negare, idem enim se ipso, non potest esse prius, jam autem rigorosè loquendo ut supra probatum, unitas dicit negationem sui in se, unde forma negata, est ipsum illud sui esse, adeoque esse, non desumibile extra negantem.

OBJICITUR III. Unum per nos, est ipsum ens, prout dicit negationem divisionis, hoc non potest dici; quia aliàs unum, esset concretum ex ente, & negatione entis. Rursus multitudo opposita uni, esset concretum ex se & negatione sui, quia multitudo constituitur ex unitatibus, ergo si negatio multitudinis pertinet ad rationem unius, multitudo constitueretur ex negatione sui.

RESPONDETUR. Unum esse concretum ex ente & negatione entis, non ejus ex quo crescit, sed alius, in quo nullum est absurdum. Sic homo constituitur positione suæ entitatis & negatione entitatis, Leonis, Bovis, &c. Nec ulterius sequetur multa constitui ex negatione sui, quamvis constituentur ex unitatibus, vel enim res de multitudine non secundum quod multitudo est, sed singillatim accepta, & sic accepta non aliud est, quàm unum & unum, & sic accepta multitudo, non dicit negationem sui, quia non dicit multitudinem, si autem accipiat multitudo secundum quod multitudo est, sic non dicit negationem sui, quia non dicit unitatem, quæ est negatio multitudinis, vel ad summum dicit negationem sui aliter sumpti, quia negabit multitudinem aliam à se, in quam aliam à se multitudinem, divisibilis non est.

OBJICITUR IV. Connotata quæ à formalitatibus extræssentialibus importantur, non censentur, se habere tanquam differentie earundem formalitatum, sed differentie sunt ipsa formalisata, non sine connotatis, & sic Paternitas, non dicitur esse differentialiter filius, sed entitas Patris, non sine filio, ubicatio item non dicitur differentialiter locus extrinsecus, sed ubicatum non sine loco extrinsecus. Atqui unitas, est entis extræssentialis formalitas, & indivisio à se, est conno-

connotatum ab unitate, pro formali importatum, ergo pro differentia unitatis non debet concipi indivisio à se, sed ipsum formalisativum, puta ipsum ens, non sine divisione à se, ergo unitas erit aliquid positivum, non sine negativo.

RESPONDETUR. Concedo interdum connotata ipsa, non adferri tanquam differentias formalitatum, unde paternitas non dicitur esse filius, licet connotet filium Paternitas; tamen interdum ipsa connotata, adferuntur tanquam differentiae formalitatum, & ita terminus dicitur esse negatio ulterioris extensionis, quamvis negatio illa, sit potius connotatum termini.

Rigorose tamen loquendo & accommodando se ad formalitates positivas, non deberet connotatum ipsum adferri in explicanda unitate, h. e. negatio divisionis, sed potius pullulans formalitas quae appellatur indivisio, sed ut adferantur ipsa connotata loco formalitatum pullulantium in entibus negativis non raro contingit, unde ut dixi, terminus non tantum explicatur per ipsum ens, prout dicit negationem ulterioris extensionis, sed & dicitur esse terminus ipsum connotatum, h. e. negatio ulterioris extensionis, ubi etiam explicatur per Corpus, prout dicit negationem indistantiam, & tamen dicitur ipsa indistantia, quod puto ideo, & in his entibus fieri, in quibus pullulans formalitas, nihil speciale & significantius addit, super ipsam connotatam negationem, quia ergo ipsa indivisio, nihil speciale adfert, praeter connotata negatione divisionis, ideo in explicanda unitate, adhibetur ipsum connotatum, & non tantum ipsa pullulans differentia, seu formalitas quae est Indivisio.

INSTABIS. Omnipotentia connotans omne possibile, pro suo differentiali, non dicit omne possibile, tempus connotans prius & posterius, non dicit pro suo differentiali prius & posterius; sed omnipotentia, est ipsa Deitas, prout dicit omne possibile, & tempus, est ipse motus caelorum secundum prius & posterius. Ergo & unitas erit ipsum ens, prout connotat negationem divisionis, non autem indivisio.

RESPONDETUR. In his objectionibus bene recurri posse ad usum vocum, stantem pro hac potius, quam pro illa usurpatione vocis. Insuper haec ratio assignari potest quia sunt aliqua connotativa, quae simul sunt relativa in re, si sunt relativa in re, necessario debet involvi distinctio realis unius extremi ab alio, & si sit relatio in actione, debet unum esse per modum causae, & aliud per modum effectus; & tunc ipsum quod connotatur, non potest dici, quod sit differentiale connotantis, quia connotans ante suum effectum, debet totum suum esse habere. Et quia omnipotentia est ita connotativa ut simul sit relativa, & quidem relatione actionis, fit ut pro differentiali connotatum suum quod sunt possibilia, non dicat; quasi illud differentiale, sit constitutum omnipotentiae. Quia verò ens non

dicit talem relationem ad negationem divisionis, fit ut haec negatio, possit constituere differentialiter ens, in ratione unius. Unde etiam differentialiter quantitas, in ratione termini constituitur per suum connotatum, nempe negationem ulterioris extensionis, & ubi per negationem distantiae.

OBJICITUR V. Definitiva formalitas unitatis, debet esse convertibilis cum ente, non est autem talis indivisio à se, quia competit etiam non entibus.

RESPONDETUR. Quod abusive, & per accommodationem, competat non entibus, & unitas & indivisio.

Solvuntur aliae Objectiones.

Promovet oppositam sententiam Mastrilius Disp. 5. Metaph. anum. 44. &c.

OBJICIT I. Illa negatio per quam solemus unitatem entis explicare, deberet habere causam positivam, per quam insit Enti, nulla enim negatio inest per se & primo alicui, sed semper ratione alicujus positivi, praesertim si talis negatio, convenit subiecto necessario, cum ergo negatio divisionis necessario insit subiecto, plane immediate ad ipsam, consequi non potest.

RESPONDETUR. Etiam per nos illa unitas habet causam sui positivam, h. e. emanativam Metaphysicè, exigitivamq; illius unitatis, inestque ratione alicujus positivi emanativi & exigitivi, licet non ratione alicujus positivi superadditi, quia huius positivi superadditi, nulla necessitas.

INSTAT I. Praecisa ratio entis, est tantum ratio essendi absolute, non autem essendi unum vel plura, ergo talis negatio convenit enti, per aliam rationem proximiorum, quae erit unitas, prius enim est esse aliquid in se non repugnans, quam esse unum.

RESPONDETUR. Praecisa ratio entis, prout est radix suarum passionum, est tantum ratio absolute essendi, nego Antec. praecisa ratio entis, sine hac radice, est tantum ratio essendi absolute, concedo Antec. jam verò entis non quomodo-cumq; spectati, sed prout est dicta radix, proprietate, est unitas; consequenter convenit haec unitas Enti, per aliquam rationem proximiorum ex modo concipiendi, quae est ipsa radix dicta.

INSTAT II. Negatio illa divisionis, oritur immediate ex tali positivo, quod sit formaliter exclusivum divisionis, talis autem non est ratio entis; quia ratio essendi, reperitur tam in uno, quam in multitudine, cum aequè multa existant, ac unum: ergo ratio entis praecise sumpta, non potest esse proximum fundamentum divisionis.

RESPONDETUR imprimis ex dictis, Rationem entis praecisam utcumque spectatam, non posse esse proximum fundamentum indivisionis, posse esse, prout est radix, exigitivum, & emanativum suarum passionum. Rursus major est falsa, sufficit enim oriri illam negationem ex positivo,

positivo, licet illud positivum, non sit formaliter exclusivum divisionis, sed radicaliter, fundamentaliter & emanativè. Denique quamvis ratio essendi reperiatur tam in uno quam in multis, aliter tamen in multis, & in uno; quia in multis per sui multiplicationem, quamquam licet ratio essendi conveniat multis, quia tamen ipsa multa sunt & hoc & hoc unum, adhuc ubique retinendo se ens, retinet suam passionem, potestque secundum se, exigere ubique unitatem.

INSTAT III. Illa ratio est positiva, ad quam proximè & immediatè, sequitur negatio divisionis, quæ immediatè opponitur multitudini, talis autem non est ratio præcisa entis, sed alia ratio positiva, quia ens non habet immediatam oppositionem cum multitudine vel divisione sed cum non ente.

RESPONDETUR. Ens non habere immediatam oppositionem cum multitudine si spectetur præcisè, secus si spectetur, prout est radix suarum proprietatum & emanativum.

INSTAT IV. Equinitas est tantum equinitas & nec una nec plures, Ergo si quælibet natura, præcisè considerata ut natura, non est una, nec plures, idem quoque dicendum de ente.

RESPONDETUR. Etiam equinitas, prout est radix & emanativum suarum passionum, est una.

INSTAT V. Quando dicitur ens ex vi suæ rationis formalis esse unum, vel est unum formaliter vel causaliter. Si formaliter, ergo unitas, non erit passio entis, non enim consequitur ad ens, sed in illo includitur; imò nec erit necessaria aliqua negatio consequens, quia ex vi suæ entitatis, & rationis formalis, præcisè Ens, ponitur unum: si causaliter, cum ratio entis nequeat immediatè causare negationem divisionis, causabit aliquam formalitatem positivam, ad quam immediatè, talis negatio consequatur.

RESPONDETUR. Ens ex vi suæ rationis (concedamus interim) formalis, est unum causaliter, hoc est, exigitivè & emanativè, ratioque entis præcisè simpliciter sumpta, non causat immediatè negationem divisionis, causat sumpta exigitivè & radicativè suarum passionum, ad quam exigentiam positivam, licet non superadditam consequitur negatio.

INSTAT VI. Etiam in communi modo loquendi, proprietates subjectis tribuimus, ex vi rationis & quidditatis eorum, sic albedinem dicimus ex sua ratione, esse visus disgregativam, hominem ex sua ratione discursivum, per hunc autem loquendi modum, minimè significare intendimus, hominem per rationalitatem formaliter esse discursivum, quasi rationalitas, sit ipsa discursivitas, vel albedinis ratio, sit ipsa disgregativitas; sed solum intendimus, has proprietates, à ratione formali ac essentia subjectorum illorum, dimanare. Ergo etiam, dum dicitur ens ex vi suæ entitatis, & rationis formalis, esse unum, id causaliter tantum debet intelligi, non formaliter.

RESPONDETUR. Concedo totum, ita tamen ut dum redditur formaliter Unum, id sit ratione negationis divisionis, non autem alicujus positivi superadditi, hocque solo sensu, supra permisum, quod ens ex ratione sua formali, sit unum. Quamquam de antecedente est difficultas; indubiè enim albedo non per aliquid à se emanatum vel superadditum est disgregativa visus formaliter, homoque non per aliquid superadditum, est discursivus formaliter, licet discurrens actu reddatur per actum superadditum.

INSTAT VII. Ens ut ens, formaliter loquendo, non dicit ordinem nisi ad existentiam possibilem, non autem ad negationem divisionis; ergo ratio entis, non est illa ratio positiva, ad quam sequitur negatio divisionis: & sicut quamvis corpus naturale, ex sua ratione formali sit mobile, tamen negatio immobilitatis, non sequitur immediatè ad naturalitatem sed ad mobilitatem, ergo & in præsentia idem dicendum, utriusque autem est hæc ratio: quia fundamentum ad quod immediatè sequitur aliqua negatio, opposito se modo habere debet, respectu illius, quod per negationem tollitur; naturalitas autè, non se habet opposito modo formaliter, ad immobilitatè, sed tantum ipsamet mobilitas, jam autem etiam entitas, non se habet opposito modo, ad divisionem.

RESPONDETUR. Ens prout est radix & emanativum suarum passionum, non dicit ordinem tantum ad existentiam possibilem. Negatio autem immobilitatis, debita corpori naturali, fundatur in aliquo positivo, non quidem superaddito positivè & entitativè: nam corpus naturale esse mobile, non est quid distinctum realiter ab ipso corpore naturali, est tamen aliquid superadditum ratione, positivum tamen, quia debet esse principium actus positivi, qui est ipse motus, positivi autem principium, non potest esse nisi positivum, quia autem nulla similis actio, proficiscitur ab unitate, ex præcisà proportionem ad mobile, in quo fundatur negatio immobilitatis, nihil colligi potest; & aliunde, obsunt rationes adlatæ. Denique entitas non quocunque modo, sed prout est radix suarum passionum, habet se opposito modo ad multitudinem, quam oppositionem formaliter exercet, per pullulantem ratione nostra, negationem divisionis.

OBJECIT II. Quod secundum suam rationem formalem importat perfectionem simpliciter, & suscipit majus & minus, illud de formali, dicit aliquid positivum, sed unitas est hujusmodi. Major probatur, quia omnis perfectio ut sic, in aliquo positivo fundatur, privatio namque & negatio ut sic, nullam dicit perfectionem, nec magis & minus suscipit, nisi ratione formæ negatæ, datur autem major & minor unitas, major est enim per simplicitatem, quam per compositionem.

RESPONDETUR. Posito quod afeitas non sit de primo essentiali conceptu Dei, erit certè hoc ipso nonnisi perfectio Dei indubiè simpliciter simplex,

simplex, & tamen negativum quid formaliter, ut alibi dictum: idem dicendum de illimitatione & infinitudine divina, secundum quod infinitudo est & illimitatio, videntur enim hæ perfectiones esse negativæ, & tamen sunt perfectiones simpliciter simplices, licet non negent suam positivitatem, competere etiam infinitudini, secundum id, quod dicit illa in recto. Sed quidquid sit de hoc: an perfectio simpliciter simplex, sit quid positivum, sufficit ut sit quid positivum secundum id quod dicit in recto; in recto autem dicit aliquid positivum unitas, nempe ipsum ens. Quod attinet ad illud: suscipere magis & minus; dici posset, quod non in unitate prout unitas est detur magis & minus, æquè enim Deus ac Petrus, dicit negationem divisionis in se, nec potest eadem divisio remitti & intendi, sicut eadem albedo potest remitti & intendi, sed suscipit magis & minus ratione suorum imitativorum & per proportionem ad se dicibilem, per qualem proportionem dicitur unum per compositionem, ad unum indivisum; quod si in se spectata unitas, non potest suscipere magis & minus, non inferetur jam positivitas unitatis, quæ inferri debuit ex isto suscepio. Potest etiam retineri Suarii responsio, quod unitas suscipiat magis & minus præcisè non ratione sui, sed ratione ejus, quod in recto importat ens.

INSTAT I. Anton. And. Vel unum est passio entis ratione fundamenti vel ratione alicujus additi supra ens: non primum, quia idem foret passio sui ipsius; non secundum, quia illud additum, vel est positivum, & sic habetur intentum, vel negativum, contraque erit; quia nulla negatio vel privatio, est idem realiter cum positivo.

RESPONDETUR. Esse unitatem passionem entis ratione alicujus superadditi, quod potest esse negativum, identificatum tamen alicui positivo, secundum id, quod dicit in recto ens.

INSTAT II. Negatio est realiter & formaliter nihil, ergo nihil erit passio entis.

RESPONDETUR. Negatio fundata in aliquo positivo, nego quod sit realiter, nihil, fundatur autem unitas in ente, dicitque in recto ens.

INSTAT III. Mastrius. Aliud est dicere: hoc esse magis ens illo; & hoc esse magis unum illo, & aliud est dicere: Deum esse summum ens, & aliud esse summè unum, nam prima prædictio est essentialis primi modi, alia quasi accidentalis secundi modi per se.

RESPONDETUR. Concedo has esse distinctas propositiones, sed nego quod ratione positivi, non ut utcumque, sed restricti ipsum illud restrictivum, intendi non possit denominatione intensiōis cadente principaliter in restrictivum, v. g. unum, licet rationem intensiōis fundante & salvante aliquo positivo, quod dicit in recto unitas, nempe Ens, cui convenit intendi vel remitti.

INSTAT IV. Alia est perfectio summa unitas, alia summa entitas: ergo suscipere magis & minus, nedum conveniunt unitati ratione fundamenti, sed etiam ratione propriæ formalitatis.

RESPONDETUR. Neg. Conseq. Quia ad salvandum quod aliud sit summa unitas, aliud summa entitas, non est necesse intensiōem salvati in formalitate, sed in fundamento; licet ratione fundamenti, etiam formalitati, competat illa denominatio, oriunda ex intensiōe.

INSTAT V. Major aut minor unitas, non habetur ratione fundamenti, sed ratione formalitatis ipsius unitatis.

RESPONDETUR. Major aut minor unitas, secundum id cui principaliter competit illa majoritas vel minoritas, non habetur ratione fundamenti, illi enim ipsi formalitati, competit esse magis vel minus unum, sed major & minor unitas, spectata secundum id quod salvat intensiōem, non habetur nisi ratione fundamenti, ad eum modum, id quod salvat intensiōem albedinis, sunt gradus albedinis, cui tamen competit esse magis album, non est ipsa albedo, vel illi gradus, sed ipsum subjectum.

INSTAT VI. Unitas in Deo importat perfectionem simpliciter simplicem.

RESPONDETUR. Concedo quod unitas in Deo, sit perfectio simpliciter simplex, sed inde ut dixi supra, non sequitur esse unitatem perfectionem positivam.

INSTAT VII. Negatio & privatio ex suo genere dicitur imperfectionem. ergo nec unitas esset perfectio, si esset negatio.

RESPONDETUR. Negatio & privatio boni & perfecti est imperfectio, non tamen negatio & privatio imperfecti, alias homini esset imperfectio, dicere negationem bovis.

Continuatur solutio.

OBJICIT III. Unitas est proxima ratio fundandi relationes reales, ergo aliquam positivam formalitatem importare debet, quia nequit relatio fundata, majus esse habere, quam suum fundamentum, seu ratio fundandi.

RESPONDETUR. Cum relationes reales non sint per nos distinctæ à fundamento in circumstantiâ termini, non erit necesse etiam ponere rationes fundandi distinctas entitative & positive superadditas. Rursus sufficit, ut ponatur unitas, esse quid reale h. e. non fictum, ut fundet relationes reales, quæ ultra fundamentum non habeant propriam realitatem, nisi hanc, quod est non esse fictas. Deinde quando unitas dicitur fundare relationes reales, sub conceptu quidē unitatis est aliquid illic negativū, sed quia illic est unitas cum multitudine, aut enim est unitas identitatis & sic erunt duo substantialiter & in natura similia, vel erit unitas similitudinis & sic erunt duo similia ejusdē rationis in qualitate, & c. si autē erit unitas cū multitud. erit unitas sed

† G sum

cum positivitate, multa enim per nos, sunt quid positivum. Denique retineri potest communis responsio quod ad hoc ut unitas fundet relationem realem, sufficit illam esse positivum quid, secundum id quod dicitur in recto. Contra quam communem doctrinam.

INSTAT I. Unitas ponitur proxima ratio fundandi prædictas relationes, secundum suam rationem formalem, non autem secundum entitatem naturæ, quia si consideretur præcise ratio ipsa entis, hæc non est principium proximum relationum.

RESPONDETUR. Neg. Quod unitas secundum suam rationem formalem, non dicat etiam ipsum ens in recto; & licet ratio ipsa proxima entis, sub consideratione præcise entis, non sit principium proximum relationum, est tamen tale principium sub ratione entis, prout dicentis negationem divisionis.

INSTAT II. Ergo adhuc relatio esset aliquid magis ratum, quam suum proximum fundamentum.

RESPONDETUR. Cum ipsa relatio in sua ratione quam habet, dicat ipsum fundamentum in recto, non erit magis rata quam suum fundamentum.

INSTAT III. Ergo ens constituitur fundamentum illarum relationum, per nihil.

RESPONDETUR. Cum fundamentum relationis ingrediatur ipsam relationem eamque constituat, etiam Ens non constituitur fundamentum relationum per nihil, sed per seipsum. Rursus quando ipsum Ens constituitur fundamentum relationum ratione unitatis, nego quod constituatur fundamentum relationis per nihil, sed per negationem divisionis, quæ non est nihil simpliciter, sed nihil divisionis, nego autem quod nihil divisionis in plura, fundare relationem non possit.

OBJICIT IV. Ens prædicatur de unitate nedum in concreto, dicendo unum est ens, sed etiam in abstracto, unitas est ens, ergo unitas pro formali, nequit esse mera negatio.

RESPONDETUR. Negando consequentiam, nego enim quod de negatione identifica positivo, non possit dici Ens, ut dicitur, negatio Joannis in Petro, esse Petrus.

INSTAT I. Nec identice vera esset illa propositio, quia nulla negatio, nec est idem realiter alicui positivo, & ens, de nihilo, nullo modo prædicari potest.

RESPONDETUR. Potest negatio esse idem realiter alicui positivo, secundum id quod dicit illa negatio in recto, Ens de nihilo simpliciter dici non potest, sed de nihilo divisionis, dicente in recto aliquid positivum, cur dici non poterit?

INSTAT II. Si unitas diceret negationem, ex vi suæ formalitatis esset aliquid contradistinctum ab ente, atque ipsi contradictorie oppositum, ergo nullo pacto esset idem cum illo.

RESPONDETUR. Cum ex vi suæ formalitatis dicat rectum illa negatio, quod est ens, ex vi suæ formalitatis, secundum rectum, non est quid contradistinctum ab ente; cumque contradictio debeat esse ejusdem, de eodem, & cum negatio divisionis non neget ipsum illud ens quod dicitur, sed alia entia, in quæ hoc dividi deberet, hoc ipso non erit contradictio inter ens, & illam negationem.

INSTAT III. Negatio ut sic contradictorie opponitur enti, ergo cum includat negatio divisionis negationem ut sic, etiam opponetur enti.

RESPONDETUR. Negatio divisionis includit negationem ut sic, non quoad latitudinem negandi hæc omnia, quæ negat negatio ut sic, sed includit negationem ut sic, quod sit species, determinatum aliquid negans, inclusum sub negatione ut sic; & sicut animal includi in rationali, non est extendi rationale, ad omnia ad quæ se extendit animal, sed tantum esse certam speciem animalis, contenti sub animali ut sic, ita & in prædictis; negatio divisionis, non negat omne Ens, consequenter non negat Ens quod dicitur in recto. Si unitas non negat Ens quod dicitur in recto, prædicari poterit de unitate Ens.

OBJICIT V. Dicit Arist. 10. Metaph. 1. 9. 1. 2. *num & multa contrarie opponi*, contraria autem sunt ambo extrema positiva.

RESPONDETUR. Illo loco posse intelligi, quod per Arist. multa & unum privative opponantur. Conformiter ad dicta superius contrarie opponuntur unum & multa, quia multa sunt quid positivum, unum autem licet dicat negationem, secundum tamen id quod dicitur in recto, est etiam aliquid positivum.

INSTAT. Divisio & multitudo formaliter consistit in negatione: ergo opposita illi Unitas, non consistit in negatione. Antecedens probatur auctoritate S. Th. & Scoti, & addit, aliquid compositum vel continuum dividi, aliud formaliter non est, quam destrui unionem, quæ erat inter illa extrema.

RESPONDETUR. Quod divisio & multitudo ut sic, consistat in negatione non simpliciter, sed in negatione negationis, adeoque in aliquo positivo. Quod attinet ad auctoritatem S. Th. illa procedit de unito, quod esse unitum, sit quid positivum, sed non de unionem, seu uno, ut dictum etiam supra; unio enim, est nexus plurium, unitas, est indivisio in plura.

INSTAT II. Alii modi unitatis in specie sunt quid positivum, ut unitas compositionis, unitas generica & specifica, unitas item continuationis, continuas enim non est negatio sed positivum quid, cum in eo consistat, quod partes quantitatis, habeant terminum communem.

RESPOND. Quantum ad præsens, triplex potest accipi unum I. unum per convenientiam, & tale est unum genere & specie. II. Est unum

unum aliquid ratione nexus & adstrictionis plurium; quale unum est in composito substantiali, personali, accidentali, & huc etiam revocari potest unio (si detur) continuationis. III. Cum accipitur unum transcendente pro passione necessaria Entis, Unum per convenientiam debet esse quid positivum: ratio; quia nihil aliud est, quam v. g. animal & animal, homo & homo, & formaliter est dualitas, v. g. hominum, quæ omnia, sunt quid, secundum formalitatem objectivam, positivum; quia in quacunque formalitate importabili, relucet entitas & entitas. Unum etiam sumptum pro nexu, importat aliquid positivum, quia importat aliquid modale & entitativum. Continuatio etiam est aliquid positivum, quia est ad maximum negatio negationis, quia est negatio terminorum, termini autem sunt negatio ulterioris extensionis. Unum tamen transcendente debet esse negativum quid, quia licet secundum rectum, positivum sit, pro connotato tamen dicit indivisionem in se, quæ indivisio, secundum objectivam in se spectatam formalitatem, quod non debeat esse quid positivum, ostendunt rationes adlatæ, & quod ne quidquam positivum adeoque entitativum involvat, ut involvunt, aliæ species unius.

INSTAT III. Etiam ipsa plura dicunt entitates, sed cum negatione unitatis, & tamen plura, sunt quid positivum, ergo etiam & ens dicens negationem divisionis in se, erit aliquid positivum.

RESPONDETUR. Si sumantur plura, in quantum negantia unitatem, sumptam pro nexu illo, sic sunt quid negativum. Sed si sumantur prout negant unitatem illam transcendentem, sic sunt quid positivum, sunt enim mera dualitas, v. g. entium, & negatio negationis, quia illius indivisionis negatio.

Punctum Difficultatis 3.

An Unitas possit præscindi ab Ente?

ASSERO I. *Unum ut sic, posse præscindi ab hoc & hoc in particulari uno.* Quia paritas est in uno comparato ad sua inferiora, ut animali, comparato ad sua.

ASSERO II. *Ratio unius non potest præscindi ab illis pluribus, in qua divisionem, negat unitas.*

RATIO. Tum quia respectivum ut sic, non potest à suo termino præscindi. Ergo neq; negatio divisionis in plura, ab illis terminis, hoc est pluribus. Tum quia negatio divisionis, & negatio pluralitatis, à se præscindere non possunt, habent enim se sicut Synonyma, sed negatio etiam pluralitatis, non potest præscindere à pluribus, quomodo enim esset negatio pluralitatis sine pluribus, ergo neq; etiam negatio divisionis præscinderet à pluribus, cum synonymè differat à negatione pluralitatis. Tum quia quæcunque ratio ostendat aliqua duo inter se præscindere non posse, eadem ostendat, neque unitatem,

præscindere ab illis pluribus, in quæ divisionem negat.

ASSERO II. *Unitatem secundum id quod subest nostris conceptibus, posse præscindere ab ente,* dixi secundum quod subest nostris conceptibus, quia secundum id quod in re est, est ipsum ens, ens autem à seipso non præscindit.

RATIO ASSERTI. Tum quia ea omnia quæ non habent easdem definitiones præscindunt objectivè, ut ex alibi dictis, constat. Jam autem entis definitio ut sic, non est definitio unitatis, ut formaliter acceptæ. Tum quia positivum & negativum præscindere à se possunt, ens autem & unitas prout subsunt nostris conceptibus, habent se sicut positivum & negativum. Tum quia conceptus ejus, ad quod aliquid attribuitur, non est conceptus attributi, aliàs utrumque ad invicem esset attributum, sicut ad invicem idem sunt, ensis & fræmea, fræmea & ensis, jam autem unitas, est attributum entis.

DICES I. Cum Oviedo. Ratio illa præcisa, esset formalissimè ens, secundum conceptum objectivum, ergo ab ente non præscinderet. Antecedens probatur. Illa ratio præcisa, haberet adhuc prædicata sua essentialia propria ex vi quorum constitueretur, ergo ratione sui haberet essentiam condistinctam ab essentia entis rationis, Ergo adhuc haberet aptitudinem ad existendum, in qua consistit ratio entis.

RESPONDETUR. Posito quod conceptus unius, sit formalissimè negativus, falsum est Antecedens: & licet haberet prædicata sui constitutiva, essent tamen non positiva, sed negativa. Neque tamen inde sequeretur, illam rationem futuram esse ens rationis, non enim illa prædicata rationis illius negativæ, importarent disconnectionem, qualem important prædicata entis rationis. Supponit etiam hoc argumentum quod ratio entis primò explicetur per aptitudines ad existendum, quod falsum est. Sed posito etiam quod conceptus unitatis, stet in aliquo positivo, sequetur hoc solum, quod à ratione particulari entis, unitas præscindere non possit, sed non sequetur quod præscindere non possit, à ratione communi, entis ut sic. Et licet unitas prout comparata ad statum realem, dicat aptitudinem ad existendum, quia tamen ab hoc ordine præscindere potest, sicut & ab ipsa existentia, ideo posset etiam præscindere ab Ente unum, quamvis unitas esset aliquid positivum.

DICES II. Cum eodem. Conceptus cujusvis entis, v. g. conceptus essentialis hominis, ab omni alio præcise, dicit entitatem hominis, qui per se est animal rationale, & per suam entitatem, habet non esse equum, sicut per suam entitatem habet esse hominem, ergo non per aliud ab ipso.

RESPONDETUR. Unitas si comparatur ad ens, non ita se habet ac animal rationale ad hominem, quia unitas, non est definitio entis, sicut

† G 2 ani-

animal rationale, est definitio hominis. Quando autem concipio hominē, licet in re ipse dicat non esse equequum, tamē possum præscindere formalitatem hominis, non attingendo in illo pro illo statu intentionali negationem equi, adeoque præscindendo ab illa. Ergo etiam possum præscindere, negationē divisionis ab Ente.

INSTAT I. idem. Ratio formalis unius & ratio formalis entis, sunt reales & formaliter distinctæ, ergo sunt entia formaliter, seu per rationem distincta, in ratione talium entium, non verò in ratione entium, cum utrumque sit ens; ergo neutrum illorum, est ens ut sic.

RESPONDETUR imprimis. Hoc argumentum non inferre intantum, quòd scilicet unum non præscindat ab ente. Deinde immeritò supponit, quòd unitas talitatem entis importet, cum potius sit quid negativum, ut supra probatum. Sed posito etiam quòd unitas importet talitatem entis, hoc ipso quòd neutrum illorum ut concedit arguens sit ens ut sic, utrumque illorum præscindit ab ente ut sic, quod sufficit ad verificandum assertum.

INSTAT II. Quod est attributum entis, debet esse attributum cujuscunque entis, sed illa ratio præcisa unius, non est attributum sui ipsius, ergo alicujus entis, ergo ab illo non præscindetur.

RESPONDETUR. Multa supponit instantia quæ non convincunt. Supponit unitatem præcisam esse ens, cum sit formaliter quid negativum. Supponit quòd ipsa ratio attributi, non possit præscindi ab uno, si autem præscindatur sic sumpta ratio, non est necesse ut sic sumpta sit attributum, vel alicujus, vel sui ipsius. Rursus quòd est attributum entis pro statu physico & reali, debet esse attributum cujuscunque entis, non autem debet esse attributum pro omni statu intentionali & Metaphysico. Denique alia est quæstio: an ratio unius ut sic, sit attributum, deque hac loquitur objectio, & alia est quæstio: an à ratione communis entis, possit præscindi ratio communis unius, de quo solo procedit assertum, nec tangitur ab objectione.

DICES III. cum Arria. Quicquid est in Petro, distinguitur à Paulo & Deo, quod pluribus probat, sed si ratio entis objectivè præcisa, non est per se una, & distincta à quolibet alio, quantumvis identificetur cum unitate, non posset reddi distincta & una in Petro, quia unitas, subiecto non potest provenire, à forma, ergo se ipsa objectivè est una, nec potest præscindi ab entitate.

RESPONDETUR. Concedo totam primam propositionem, quia non agit de formalitatibus prout subsunt nostris intentionibus. Ad secundam dico, quòd ratio præcisa entis objectivè spectata, pro illo statu intentionali, neque importet negationem divisionis, nec illam neget. Dico rursus rationem præcisam entis, distinctam esse à quolibet alio, non per formaliter

importatam negationem divisionis, adeoque non per formalitatem unitatis, à qua tunc præscindit, sed ex non respondentia diversarum à se formalitatum, distinguetur; à Paulo & Deo, quia illæ formalitates non respondent, cum concipitur ratio præcisa entis ut sic. Post hæc autem omnia, nego illam propositionem: non posse scilicet præscindi rationem unius ab entitate, licet autem unitas non possit provenire à forma realiter vel modaliter distincta, cur non poterit provenire à formā, per rationem distinctā.

INSTAT. Natura divina ex se est una quamvis per identitatem uniatur personalitatibus realiter distinctis, nec per hoc redditur natura multiplex, nec personæ redduntur una persona. Ergo unitas non potest provenire à forma realiter identificata, objectivè tamen distincta. Ergo si ens habet unitatem, non habet illam per aliquid saltem objectivè à se distinctum. Ergo ens non potest objectivè ab unitate præscindi.

RESPONDETUR. Non inferri exinde, si possit præscindi objectivè ens ab uno, hoc ipso jam identificatam naturam personis tribus, fore trinam, vel personas tres identificatas naturæ, fore unam personam. Quod autem natura non fiat trina vel personæ tres, non sequuntur in unitate conditionem naturæ quæ est una, referri id debet in intercedentem illic distinctionem virtutalem in ordine ad prædicata primò intentionalia, vi cujus nec plurificabitur natura, plurificatis personis, nec Personæ reddentur una Persona, ab unitate naturæ. Concesso itaque Antecedente nego Consequentiam.

DICES IV. cum eodem. Albedo licet possit denominare subiectum album, non potest tamen subiectam facere albedinem, est enim album concretum, quod significat duo, formam & subiectum. Jam autem subiectum, esse distinctum ab alio, seu non esse aliud, non est conceptus compositus, nec quid concretum. Ergo non potest reddi subiectum distinctum, per formam illi unitam; ergo unitas non potest competere ab aliquo distincto; ergo id ens habebit à se ipso formaliter, ergo ens non distinguetur objectivè ab uno.

RESPONDETUR. Album est concretum physicum, quod semper importat duo physica, licet unita, si importat duo physica, unum non identificatur alteri, nec facit illud tale formaliter, quale est ipsum, & ita albedo non facit parietem albedinem; jam autem unum & distinctum, est concretum metaphysicum, quod importare potest identitatem cum subiecto, esseq; distinctum ab illo, per rationem fundantem præcisionem objectivam. Quo posito nego ultimam consequentiam, quod ens objectivè non distinguitur ab uno.

DICES V. Animal etiam prout præcisum à differentiis non est lapis, ergo & ens prout præcisum

cisum ab unitate, non est aliud à se nec est multiplex, ergo adhuc unum.

RESPONDETUR. Si inquiratur Antecedentis ratio, cur animal prout præcisum à differentiis non sit lapis, hæc erit, quia definitio animalis, non est definitio lapidis, cum ergo etiam definitio entis ut sic, non sit definitio unitatis, ut sic, fit ut adhuc ista præscindi debeant; ens autem ipsum præcisum, præscindit, prout subest nostris conceptibus, ab hoc ipso: non est aliud, licet in re, non sit aliud, præscindit etiam ab hoc, quod est multiplex esse, consequenter cum præscindat prout subest nostris conceptibus, ab hoc: non est aliud, prout subest nostris conceptibus, non est unum Formaliter.

Punctum Difficultatis 4.

*Quotuplex sit unitas, in particulari?
quid hæceitas?*

DE unitate universalis, formali, convenientis, egi in Logicis, de transcendentali hic immediate. De unitate per se, & unitate per accidens, innui aliquid in Physicis & nunc dico. Illud est unum per accidens, quod in re est multiplex, moralem autem vel artificialem habet unitatem. Moralem unitatem habet exercitus unus, artificialem domus. Unum autem per se, est unum simpliciter, vel ratione identitatis, ut sunt unum simpliciter substantiæ spirituales & entia simplicia, vel ratione ordinis essentialis proportionalis, qualis est unitas in composito ratione materiæ & formæ substantialis, inter quæ reperitur ordo essentialis; quia autem utrumque est substantia; est ordo ille proportionalis, vel ratione ordinis essentialis simpliciter; nam etiam inter materiam & albedinem est unum per se, licet accidentale, ordinariè tamen unum per se, supponit pro illis inter se ordinatis proportionalibus. Vel certe utrum per se, est ratione continuationis, & sic unum per se est ignis, aqua, aliq; homogenea substantialia, dixi substantialia, quia non dicitur albedo esse unum per se, quamvis partes illius, sint homogeneæ. De unitate individuali seu hæceitate.

ASSERO I. *Non esse idem formaliter, unitatem hæceitatis, & unitatem transcendentalem.* Tum quia Unitas hæceitatis, est inferior unitate specifica, illamq; ultimo contrahens, cum tamen etiam abstractissimæ rationes, dicant unitatem transcendentalem. Tum quia Unitas transcendentalis, est attributum entis ut sic, unitas individualis, non est attributum ut sic, cum multa participent de ente ut sic, sintq; ens formaliter & unum formaliter, sine eo quod sint unum individualiter, qualia sunt genera & differentiæ genericæ speciesq; quæ tales. Tū quia unitas illa hæceitatis, coincidens cum unitate transcendentali, vel

est quid posterius specie quàm ultimo contrahit, vel prius, si posterius, ergo non est transcendentalis, quia hæc sequitur conditionem entis, quod est prius specie, si prius specie, ergo non est unitas hæceitatis, quia individua, adeoque rationes illorum constitutivæ, sunt posteriora speciebus, cum sint inferiora specierum.

ASSERO II. *Principium formale & rationem constitutivam hæceitatis non esse collectionem accidentium.* Ratio. Quia secretis omnibus accidentibus, & annihilatis, potest manere substantia eadem, de qua quæro: an sit hæc quæ fuit vel non? si est hæc quæ fuit, ergo secretis omnibus accidentibus, convenit illi hæceitas. Si non est hæc, ergo non manet eadem quæ fuit, quia esse eandem & hæc, verbis differunt, & tamen manere eandem ponit suppositio. Deinde nisi des processum in infinitum, ipsa accidentia in particulari non sunt individua per collectionem accidentium, ergo & in præsentem idem dicendum.

ASSERO III. *Principium individuationis, non esse materiam signatam.* Nomine materiæ signatæ, intelligunt Thomistæ materiam primam quantitate affectam. Ratio. Tum quia vel cujuscunque individuationis est principium materiæ signata, vel talis in particulari; si primum. Ergo cum Deo; Angelis, animæ rationali, non competat ratio materiæ quantitate affectæ, nec competet illis hæceitas; si dicatur secundum. Ergo non responderetur ad statum quæstionis; quia hic quæritur de principio individuationis ut sic. Tum quia collectio accidentium non est principium individuationis, ergo nec materiæ signatæ; nam pro utraque parte eadem rationes applicari possunt. Tum quia si materiæ signata est principium individuationis, vel est principium tunc cum est unita, vel cum non est unita? si tunc non, nisi cum est unita, ergo animæ separatæ non sunt individua; si autem etiam, cum est non unita, ergo formæ ordinatæ ad eandem materiam signatam, omnes eadem erunt numero, idemq; erit numero, calor, color, siccitas humiditas & quæ recipi possunt in eadem parte materiæ signatæ. Et certe de ipsâ materiâ, & de ipso signante, hoc est quantitate, quærete restat, undenam individuentur?

ARISTOTELES & S. THOM. Qui in oppositum citantur loquuntur de materiæ signatæ, tanquam signo manifestiori individuationis, quoad nos, vel loquuntur de materiæ metaphysicâ h. e. ipso toto, quod recipit ex modo concipiendi individuationem, tot enim sunt individua, quot tota, quæ ipsa tota exigunt individuationem, suntque radix hæceitatis adeoque principium illius. Quamvis autem non individuentur accidentia à materiæ signatæ, nondum sequitur duo accidentia solo numero distincta, posse esse in eodem subjecto, quia otiositas alterius, deponit unitatem accidentis.

ASSERO IV. *Hæceitatem & unitatem individua-*

† G 3

dualem

dualem aliquo modo distingui posse ratione diversarum conceptibilitatum: Nam hæcceitas quæ talis, numerum non importat, importat eum unitas individualis. Hæcceitas de se significat id, quod demonstrabile est tanquam hoc aliquid: Unitas autem non importat aliud, præter negationem aliquam divisionis. Hæc tamen duo ordinariè confundi solent, nam & sine se reperibilia non sunt, & in ordine ad scientias, parvam aut nullam habent differentiam.

ASSERO V. *Hæcceitatem & unitatem individualement condistinguendo adhuc ille ipse dupliciter spectari possunt.* Imprimis secundum quod in re sunt, deinde prout subsunt nostris conceptibus. Hæcceitas prout in re est, est ipsum est, tanquam hoc aliquid demonstrabile, vel ipsum ens, prout determinatum ad esse hujus. Jam autem eadem hæcceitas, prout subest nostris conceptibus, est formalitas determinativa entis, ad esse hujus. Porro ipsa unitas individualis in re spectata, est ipsa natura negans divisionem in se, tanquam hoc aliquid demonstrabile: prout autem subest nostris conceptibus, erit formalitas, quæ est negatio divisionis in se, tanquam hoc aliquid demonstrabile. Addo Ly tanquam hoc aliquid &c. ad distinguendum melius unitatem individualement ab unitate ut sic, quæ dicit negationem divisionis in se, non restringendo qualiter.

BONITAS autem hujus explicationis probari debet, quia scilicet sic explicari hæcceitatem nihil vetat: ex aliâ parte illa nec realiter, quia hoc esset multiplicare entia sine necessitate, nec formaliter ex natura rei Scotistè distinguitur: quia hæc distinctio aliàs est impugnata, ergo distinguetur & explicabitur, non nisi per rationem.

Quod autem hæc ipsa unitas non sit aliquid essentialiter. Ratio est. Tum quia concipitur per modum accidentis Metaphysici. Tum quia essentialiter differre coincidit cum eo, quod est specie differre. Tum quia diversa est ratio, cur differentia specifica adferat essentialem perfectionem; quia si illam non adferret non distinguerentur essentialiter & specie Bos & Leo. Sed de hoc ubi de anima rationali, & ejus ab alterâ anima rationali, distinctione.

Punctum Difficultatis 5.

De reliquis individualement unitatem concernentibus.

Restat difficultas, quodnam sit principium individuationis modalitatum. Et quidem non est difficultas de principio individuationis intrinseco, quod non aliud est quam ipsa enti-

tas modalis tanquam hoc aliquid demonstrabile &c. Sed est difficultas de individuatione quasi extrinseca: An scilicet per principium à quo procedunt, an per terminum, an per utrumque individuentur; in idem recidit si quæras:

ASSERO I. *Actionem secundum quod importat modalitatem requirere essentialiter Principium hoc.* Ratio. Quia ille modus est essentialis determinatio, vi cuius principium, à non esse agentis, ad esse agentis transit; si autem ab alio principio pendere posset, non esset essentialis determinatio, hujus agentis. Rursum si actio posset variare principium, posset in rerum natura esse actio, v. g. qua Adam generavit Abelem, & non esse posita ab Adam, hoc autem non potest dici; quia aliàs illa actio, adnexaque illi modalitas, non esset sufficiens determinativum, per quod transeat Adam à non esse generantis ad esse generantis. Quare autem potest esse diversorum principiorum idem effectus, & non potest esse actio quæ agit unus, actio aliùs in quantum importat modalitatem, hoc oritur ex definitione modi, quod sit entitativa determinatio.

ASSERO II. *Unum eundemque numero effectum, potuisse produci diversis actionibus numero.* Ratio. Tum quia intra eandem speciem continentur plures numero effectus, ergo & respectu ejusdem termini, plures numero actiones. Tum quia cum individuat effectuum, illorumque quoad hoc esse determinatio, pendeat à Deo, ergo apparet pluribus actionibus & principiis eodem subesse. Tum quia id non implicat.

ASSERO III. *Unionem secundum quod non est sine modo, per alios autem modos, posse unam, per diversas numero actiones produci.* Ratio. Tum quia unus idemque Abel, potuisset produci diversis actionibus, non esset autem idem, si eadem unio per diversas actiones non produceretur, quia unio essentialiter in sententia modalium ingreditur compositum. Tum quia si quis asserat quod unio à diversis principiis producatur, nihil asseret, quod sit contra naturam modorum, quia unio vel illi annexa modalitas, non est essentialis determinatio agentis sed materiæ & formæ. Tum quia id non repugnat. Ceterum unio est essentialis determinatio hujus materiæ & hujus formæ, ita ut hujus materiæ unio A. non possit esse unio materiæ. B. aliàs illa non esset sufficiens ratio transitus ad esse uniti.

DICES I. Principium non respicit essentialiter actionem; ergo neque actio principium.

RESPONDETUR. Si sensus sit antecedentis, potest esse principium & non esse actio, verum est antecedens, sed falsa consequentia. Ratio: quia ipsum principium, non est essentialiter determinatum ad esse agentis formaliter, secus ipsa actio. Si autem antecedentis sit iste sensus: principium potest agere & non actione quæ fit illius: nego antecedens.

DICES II. Actio in specie potest variare principium.

cipium in specie, v. g. calefactio potest proficisci ab igne, potest à spirituosus sumptis, ergo actio, potest etiam in individuo, variare principium.

RESPONDETUR. Duplici sensu actio in specie potest variare suum principium, imprimis hoc sensu: quod eundem effectum præstare possit actio profecta à diversis specie principii; & hæc propositio est vera sed consequentia negatur, I. quia præstare eundem effectum, est id, quod sequitur rationem entis rati, v. g. calorem, qui sua natura, non est essentialis determinatio seu modus. II. Sensus Antecedentis potest esse hic, quod hæc actio in specie, cum suis omnibus identificatis prædicatis, possit ab alio principio proficisci; & hæc propositio est falsa; quia inter hæc prædicata, est etiam individuatio actionis, quæ ipsa hæc individua, non convenit alteri principio. Et quamvis per nos una eademque actione, agant diversa principia, eadem enim est actio creaturæ & Dei, specierum (si agunt) & potentia, habitus item & potentia &c. Cum hoc tamen stat, quod actiones respiciunt essentialiter principium; idque ideo, quia hæc ipsæ in individuo non erunt nisi ab utroque hoc principio; aliàs illæ actiones non essent sufficiens determinativum, à non esse agentis v. g. duorum, ad esse agentis duorum.

DICES III. Quidquid Deus cum causa secunda potest, potest solus, concurrir autem Deus ad productionem modi illius cum creatura, ergo & solus illum producere potest.

RESPONDETUR. Majorem indigere hac limitatione: si non implicet. Unde nec actionem vitalem quæ talem, producere potest, implicat autem ut essentialis determinatio activi principii, ab alio, quam ab hoc principio pendeat.

DICES IV. Non implicat contradictionem ut una actio producat ab alia, licet implicet produci per aliam. Sic implicat quidem ut actio reddatur agens per aliam actionem, sed non implicat ut actio productiva ignis, sit productiva gratia, ergo apparet non implicare ut una actio producat aliam, ergo ulterius actio, non respicit essentialiter principium.

RESPONDETUR. Hanc ultimam consequentiam nec probari nec inferri ex antecedentibus, quia adhuc non ostenditur, quod illa actio etiam elevata, mutet principium. Quod autem attinet ad veritatem Antecedentis & suæ probationis; si illius sensus sit; quod possit esse actio, productiva ignis & non producere ignem sed gratiam, falsa est: quomodo enim esset jam productiva ignis; si autem sensus sit; actionem productivam ignis, producentem ignem, simul elevari ad productionem gratia, propositio vera est, sed ad præsens non facit.

DICES V. In oppositum esse paritates aliquas.

I. PARITAS. Una relatio potest fundare aliam; ergo & actio agi per aliam actionem; ergo non est connexa cum principio.

RESPONDETUR. Negando secundam consequentiam. Quia quamvis ageretur actio per aliam actionem, posset adhuc stare nexus illius cum principio, agente scilicet eodem principio, eandem actionem, per aliam actionem. Negatur etiam prima consequentia. Disparitas est, quia si una relatio fundet aliam, non sequitur unam relationem per aliam referri, sed unaquæque in suo genere, essentialiter determinaret, ad esse relata; ad quod faciendum est nata; si autem actio posset agi per aliam actionem, hoc ipso actio non esset essentialis determinatio ad agendum, sed indigens agi.

II. PARITAS est. Uniones partiales possunt uniri per unionem totalem, cognitio item cognosci per aliam cognitionem, ergo & actio potest agi, per aliam actionem.

RESPONDETUR. Negando consequentiam. Quia unio totalis faciens uniri, uniones partiales inter se (si est possibilis talis unio totalis) non facit illas habere formalitatem unionem, sed supponit, adeoque unit illas, salvo hoc, quod sint essentialis determinatio ad uniri; si autem actio per aliam actionem ageretur, sensu in quo disputamus, illi ipsi actioni tribueret vim, ut sit essentialis determinatio ad agendum, unde non supponeret in illa hanc vim ut ex vi modi supponere deberet, sed primum conferret illam, quod absurdum est, & contra naturam modorum. Addo quamvis illa actio ageretur ab alia actione, si tamen ageretur ab hoc principio, deberet actione illius agi, aliàs illa actio, non esset sufficiens determinativum.

DIFFICULTAS II.

De Veritate.

VERITAS duplex est. Formalis & Objectiva, de priori actum in Logicis, unde desumenda sunt aliqua pro præsentis loco, ut quod veritas objectiva non sit relatio, quod non sit ens rationis &c. ut autem reliqua de veritate Objectiva attingantur.

ASSERO I. *Veritatem objectivam non esse primum constitutive negationem falsi*, quamvis negatio falsi profluat ex primo constitutivo, veritatis objectivæ. Defendi id debet & probari, conformiter ad ea, quibus probatum, ens primum formaliter, non esse negationem nihili.

ASSERO II. *Veritatem objectivam relative spectatam, esse conformitatem ad intellectum cognoscentem objectum, sicuti est.* Tum quia ita expresse Arist. 5. Metaph. T. 34. S. Thomas I. p. q. 15. a. 5. & Imo contra Gen. c. 66. Tum quia si intellectus ille cognoscendo, non errat, hoc ipso res, ita se habet, ac illam esse, dicit intellectus, si enim non ita se haberet, erraret ille intellectus in noscendo. Tum quia si veritas formalis recte explicatur per conformitatem & objectum prout est, ergo & veritas objectiva relative spectata,

† G 4 recte

rectè explicabitur per conformitatem ad intellectum, objectum sicuti est, cognoscentem. Quia conditio est correlativorum, explicatio mutua; & ita nemo explicat Paternitatem nisi per Filiationem, neque Filiationem nisi per Paternitatem. Porro hæc conformitas non tantum est ad intellectum Divinum, sed ad intellectum quemcunque verè cognoscentem; quia enim veritas, est passio universalissimi entis, si nihil obsit, per aliquid universalissimum explicari debet. Et certè, pone per impossibile Deum esse, errare tamen in cognitione creaturæ, non errare autem intellectum aliquem creaturæ, circa noscendam illam creaturam, diceret tunc veritas illa relativa conformitatem, non ad intellectum Divinum, sed ad illum creatum. Idem similiter propone de creatura falso cognoscente, cum Deus verè cognoscat inferq; ex utroque quod conformitas quæ importatur à veritate objectiva, non sit ad intellectum Divinum quæ talem, nec creatum quæ talem. Licet in re, solus intellectus divinus, per essentia, verè cognoscat.

ASSERO III. *Veritatem objectivam absolute spectatam nihil aliud esse, quam radicem conformitatis relativæ seu ipsum esse sicuti esse debet.* Quod ipsum explicatur sic. Unumquodque quod est, habet esse, hoc ipso enim non esset, si non haberet esse; quia tamen hoc quod habet esse, potest habere, & esse, quod debet habere; & potest non habere esse, quod deberet habere, sit ut ad istas duas differentias, attendi debeat. Sic v. g. statua hominis hoc ipso quia est, esse habet, sed non habet esse debitum hominis, cum esse hominis sit corpus humanum & anima rationalis, illisque careat illa statua, ex quo fit ut illa statua, non sit verè homo. E contra statua hominis, est ne vera statua? ita planè; quia habet esse debitum statuæ humanæ, cum habeat representationem artificiosam corporis & statuæ humanæ, qualis est debita statuæ, hinc illa statua evadit verà statua, idque probant instantiæ in alia omni materia, ex quibus ulterius hæc ponitur *Major*.

Omne quod est, & habet esse, sicuti esse debet, est verum objective. Ratio. Tum quia de omni quod est verum, verificatur; habet esse, sicuti esse habere debet. Tum quia non habere se ita, sicut se res deberet habere, pertinet ad falsum v. g. habere colorem auri, sine perfectionibus auri, est esse falsum aurum, habere autem prædicata requisita ad falsificandum aurum, est esse verè falsum aurum. Ergo è conversio habere se ita sicut res debet habere, pertinet ad verum objective illudque constituit.

Quod autem hæc ratio sit prior conformitate ad intellectum verè cognoscentem. Ratio est. Tum quia esse, semper est prius quàm intelligi, ex alia parte pro ratione adferri potest, quare hoc vel illud, verè intelligatur: quia intelligitur sicuti est, ergo apparet priorem esse hanc rationem, præ ipsa conformitate ad intellectum,

verè cognoscentem. Tum quia extrinseca semper sunt posteriora, jam autem cognosci cognitione vera, est quid extrinsecum. Esse autem sicuti esse debet, est aliquid intrinsecum. Imò hæc explicatio posita, vitatur circulus quem committunt oppositi, quia veritatem formalem per conformitatem ad veritatem objectivam, & veritatem objectivam explicant per veritatem & conformitatem formalem, nos autem veritatem formalem explicamus per veritatem objectivam, & veritatem objectivam per esse, quale debet esse. Tum quia impossibili omni intellectu, qui cognoscat hominem, adhuc Petrus non erit brutum, sed verè homo: ergo apparet veritatem non rectè explicari per conformitatem ad intellectum, tanquam per rationem primò essentialiter constitutivam veri.

Ex his autem inferet. Verum nihil aliud esse nisi ipsum ens prout dicit esse, quale esse debet, involvendo, quasi rationem mensuræ, ut ita esse habitum, sit commensuratum, esse, quale debet haberi ab illo ente, consequenter ut ipsum ens, in quantum habet prædicata debita sub formalitate constituentium sit essentia, in quantum dicit excellentiam ortam ex exclusione radicali defectus, sit perfectio, & in quantum præcisè dicit esse, quale debet esse commensuratum quæ esse quod habet ad id quale debet habere, sit verum.

DIFFICULTAS III.

De Bonitate.

ASSERO I. *Bonitatem multipliciter accipi posse.* I. Aliud est bonum in se aliud bonum alteri. Bonum alteri, est conveniens & respiciens aliud à se, quod rursus si sit conveniens ad appetitum rationalem erit honestum. Si conveniat ad appetitum sensibilem erit iustum, quod si habeat convenientiam cum fine intentō licet latius sumpto erit bonum utile. Bonum autem in se est idem, quod perfectum in se. Rursus aliud est bonum absolute & in omni genere & hoc est solus Deus, & aliud bonum restrictè, & hoc est creatum.

ASSERO II. *Bonum alteri seu esse conveniens, non esse rationem primò constitutivam boni,* quod est passio entis. Ratio. Quia sicut ens est ratio absoluta, ita & passiones ejus; si nihil obsit, debent esse absolute, ut ita magis proportionentur inter se attributa, & id cui attribuitur, jam autem esse conveniens alteri, est ratio respectiva. Deinde si bonum debet explicari per convenientiam alteri; hæc convenientia vel esset possibilis vel actualis, non actualis, quia Deus ab æterno erat bonus, & tamen acta non conveniebat alteri, quia nullus erat alter præ Deo ab æterno; non etiam debet esse possibilis convenientia alteri, quia impossibili omni alio præter ipsum Deum; adhuc intelligitur Deus esse bonus. Bonum tamen respectivè acceptum, est ipsum ens prout est quantum ex illo appetibile, hæc enim est formaliter ratio respectiva nullaque ratio respectiva sub formalitate respectivæ potest dari prior, ex altera parte convenit omni, soli & semper.

ASSERO III. *Bonum absolute acceptum est ipsum ens prout est radix ex qua sunt appetibiles,* amabilitas, convenientiaque quantum ex illo alteri. Ratio. Quia hic conceptus procedit per prima, convenitque omni soli & semper, ut verumtamen fatear, ipsa illa radix non habet nomen aliquod proprium.

Quomodo autem formandus sit conceptus veritatis & bonitatis prout formalitates sunt, colligatur ex dictis de veritate, *Formali in Logica.*

DISPU.